



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 83. Papa a Rege abolitionem Pragmaticæ Sanctionis postulans

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

ad obitum Regis Catholici differret. Secul. XVI.  
Haud diu, inquietabat Leo, Hispaniarum A.C. 1515.  
Rex vita superfles erit, ætas jam prope ex-  
acta, adversaque ejus valetudo proximam  
mortem comminantur. His permotus Rex  
arma suspendere decrevit. Agebat insu-  
per Franciscus cum Pontifice de pace  
Cæsarem inter & Venetos concilianda,  
qua in re utriusque sententia eo abibat,  
ut Ægidius Augustinianorum Magister ge-  
neralis ad Maximilianum Cæsarem able-  
garetur, qui pacem cum Venetis redin-  
tegraret, simulque Imperatorem horta-  
retur, ut Brixiam & Veronam Venetis  
accepta ab iis certa auri summa restitue-  
ret, eoquod adversus Reipublicæ poten-  
tiam ambas urbes tueri haud valeret,  
maxime, ubi Galli occupata Mediolanen-  
si ditione Venetis juncti essent.

§. LXXXIII.

*Papa a Rege abolitionem Pragmaticæ  
Sanctionis postulans.*

Nonnisi pragmaticæ Sanctionis, quam  
Papa omnino abolendam postulabat,  
negotium supererat. Ea ab initio haud  
alio ex fine condebatur, quam ut vetus  
Ecclesiæ Gallicanæ disciplina ex primis  
Conciliis hausta in sua firmitate persiste-  
ret; verum Romana Curia, postquam  
antiquis Canonibus decreta Pontificum

Sæcul. XVI. subrogaverat, Papæ jurisdictionem arctioribus limitibus in Gallia circumscribi, ægerri ne ferebat, cum tamen eam in potissimum Europæ Regnis supremam haberet; unde pragmaticam detestabatur Sanctionem, velut opus tenebrarum nonnisi ad deprimendam Pontificiæ potestatis amplitudinem tempore schismatis conflatum, hanc ob rem Pius II. sub Ludovico XI.; Alexander VI. sub Carolo VIII.; & Julius II. regnante Ludovico XII. pro abroganda ejusmodi Sanctione extremos adhibuere conatus: Hucusque tamen vana erant eorum molimina, eoquod fortuna Gallis suisset propitia. Ast Francisco I. ea erat animi imbecillitas, ut Papæ votis cederet, immoderato expugnatus desiderio, quo ad regni sui Episcopatus nominandi potestatem recuperare anhelabat, quam omnes primæ, ac non pauci secundæ stirpis Prædecessores sui olim possidebant.

## §. LXXXIV.

*Cancellarius a Rege deputatus abrogandæ Sanctioni Pragmaticæ favens.*

Igitur Rex Parisios redire percupidus, totius negotii curam Prato suo Cancellario demandavit. Huic ea infedit opinio, quod abrogata Sanctione pragmati-

ca